

Forfatter: Ewald, Johannes

Titel: §. VIII.

Citation: Ewald, Johannes: "§. VIII.", i Ewald, Johannes: *Johannes Ewalds samlede skrifter*, Gyldendal, (1969), s. 122. Onlineudgave fra Arkiv for Dansk Litteratur: <https://tekster.kb.dk/text/adl-texts-ewald03val-shoot-idm140321582102256.pdf> (tilgået 20. september 2021)

Anvendt udgave: Johannes Ewalds samlede skrifter



§. VIII.

✕ Dotes igitur poëtæ necessariæ sunt intelligentia, phantasia & vires animi sentientes. Hæ quidem in poëta ita nato præminent & dominantur, sed nisi lumine illius iuventur, sæpissime errant. Intelligentiæ vires pro variis poëseos generibus varie sese exserunt; quæque facultatum animi habet, ubi regnet carminum genus. Altitudo animi 123 cernitur in Odâ carmine Epico & Tragoedia: facilitas in Epistolis familiaribus: acumen in Epigrammate: in Comoedia omnes fere sese exserunt vires. Facultatem præterea habere debet sui ipsius obliviscendi, induendi personam illius, quam pingere vult, illius mores cupiditatesque adsumendi, eosque sermones usurpandi, eaque agendi, quæ si ille ipse adesset ageret & usurparet. Hæc facultas, consuetudine hominum, naturæ consideratione & exemplorum cujusvis generis imitatione formatur: ab ipsa natura vero acceperit necesse est poeta animum tenerum, cereum flecti & efficacem. Sensu seu gustu veri & pulchri gaudeat. Hic suâ naturâ non differt a sagacitate ingenii animique facultate sentiente connatâ, quod vero ab arte accedit, studio & usu sibi acquirat poeta. Judicium aurium inprimis ad eum pertinet. Præter cognitionem artis ipsius tam quod ad regulas, quam quod ad exempla, Poeta se ipsum nosse debet ingenique vires habere exploratas, atque ita, an sibi Musæ faveant necne, intelligere. Lingvæ cognitionem habeat perfectissimam. Hominem in primis cognoscat, neque nudum tantum, sed quam consuetudo, pro loci & temporis differentia, naturæ simplicitati mutationem & faciem attulerit. Huc pertinent religio, leges, disciplina, mores, diversæ imperiorum formæ cet. Mores inprimis hominum respiciat. Naturam & simplicem & arte, ut ita loquar, emendatam habeat cognitam. Mythologiæ nequaquam debet esse ignarus. Veteres pariter ac recentiores poëtas sibi familiares reddere, omniumque artium cognitionem sibi utilem credere debet. Ex hisce quæ pluribus in sæpe nominato Marm. exponuntur, satis patere credo, poëtæ, qui & dotibus arti suæ necessariis præditus est, & dotes hasce justo more excoluit, haud ultimas laudes deberi; immo poësin haud immerito, si non ad utilissimas tamen ad difficillimas artes referri.